

19115
ADNOTATIONES

AD

RHINOPLASTICEN.

PRO

VENIA LEGENDI

SCRIPSIT

Dr. med. *Julius Ssymanski.*

7773.

ADNOTATIONES

AD
RHINOPLASTICEN.

COMMENTATIO

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA
DORPATENSI

AD
VENIAM LEGENDI
RITE IMPETRANDAM
PALAM DEFENDET

AUCTOR
Dr. med. **Julius Szymonowski**,
IN CLINICO DORPATENSI EXERCITATIONES CHIRURGICAS MODERANTIS
AUXILIARIUS.



Accedit tabula lithographica colorata.

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDUÆ J. C. SCHÜNMANNI ET C. MATTIESENI.

MDCCLVII.

Praefatio.

Imprimatur

haec dissertation, ex conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, numerus exemplorum lege praescriptus collegio tradatur ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livon. die XXII m. Aprilis a. MDCCCLVIII.

N^o 76.

(L. S.)

Dr. Samson,
ord. med. h. t. Decanus.

Commentationem, quam ad veniam legendi impetrandam palam defendarem, ut conscriberem adductus, jam fragmenta quaedam de studiorum meorum fructibus in medium proferam.

Hac aetate, qua tam multa ad doctrinam nostram pertinentia scribuntur, plurimi interest, ut, quae nova afferuntur, forma quam brevissima lectori praebeantur, eorum, quae ex aliis operibus jam nota sunt, repetitione quam maxime evitata.

Itaque non videor excusationis indigere, quod tantae brevitati studuerim. Temporis quidem exiguitas imprimis me coegerit, ut cogitata enunciatis abruptis proponerem; attamen, quum ea rite ordinare conatus sim, sic me lectori gratum fecisse credo.

Qua in re neminem puto ob dicendi genus, quo usus sum, nimiae me insimulaturum esse confidentiae. Evidem nullam aliam ob causam orationis brevitatem secutus sum, nisi ut peritio-

D18520

ribus me doctrinae nostrae viris facilius esset de studiis meis judicium facere. Qui ne mihi repugnant atque contradicant, non vereor, sed potius animo modesto spero, sic fore, ut ipse longiores progressus faciam. Namque nisi complurimum observationibus inter se comparandis laeti in arte progressus fieri nequeunt.

Professoris Dr. Adelmann benignitate, cuius nunc palam ei gratias maximas persolvere liqueat, mihi oblata fuit occasio, rhinoplastice totalem suscipiendi, cuius eventus prosper, ex imaginibus photographicis, quibus criminis verti non potest, res ad verum expressas non esse, satis conspicuus, me ad hanc provinciam amplius tractandam adduxit.

Pagellae, quas nunc publici juris facio, exiles sunt horum studiorum primitiae. Praecipue id spectavi, ut contractionem cicatricis, quae qualis futura sit, tam incertum habetur, in rhinoplastices usum converterem, metumque inanem, quo lobuli frontis cute petiti gangraenam taliumque operationum exitum letalem timere solent, argumentis ex historia desumptis, tollerem.

Utraque in re mihi videor non inutiliter elaborasse.

„Grau Freund ist alle Theorie, doch grün des Lebens goldner Baum.“ Goethe.

1. Unaquaeque faciei pars organum est physiognomiae gravissimum, nasusque, quippe qui pars faciei sit maxime prominens, eo respectu summae est dignitatis.
2. Cicatrix nasi peculiari quadam est vi universam faciei imaginem mutandi et plerumque quidem deformandi.
3. Ex omnibus faciei vitiis nasi defectus hominis adspectum maxime horribili modo deformat.
4. In vulgo, naso deficiente, suspicio de syphilide inevitabilis est, quo fit, ut talis calamitas etiam augeatur.
5. Sententia a Graefe prolata, qua rhinoplastice per Africam Siciliamque ex regionibus orientalibus in Italiā allatam esse censem, nullo certo adminiculo ex historia petitio confirmatur.

ribus me doctrinae nostrae viris facilius esset de studiis meis judicium facere. Qui ne mihi repugnant atque contradicant, non vereor, sed potius animo modesto spero, sic fore, ut ipse longiores progressus faciam. Namque nisi complurimum observationibus inter se comparandis laeti in arte progressus fieri nequeunt.

Professoris Dr. Adelmann benignitate, cuius nunc palam ei gratias maximas persolvere licet, mihi oblata fuit occasio, rhinoplastice totalem suscipiendi, cuius eventus prosper, ex imaginibus photographicis, quibus criminis verti non potest, res ad verum expressas non esse, satis conspicuus, me ad hanc provinciam amplius tractandam adduxit.

Pagellae, quas nunc publici juris facio, exiles sunt horum studiorum primitiae. Praecipue id spectavi, ut contractionem cicatricis, quae qualis futura sit, tam incertum habetur, in rhinoplastices usum converterem, metumque inanem, quo lobuli frontis cute petiti gangraenam taliumque operationum exitum letalem timere solent, argumentis ex historia desumptis, tollerem.

Utraque in re mihi videor non inutiliter elaborasse.

„Grau Freund ist alle Theorie, doch grün des Lebens goldner Baum.“ Goethe.

1. Unaquaeque faciei pars organum est physiognomiae gravissimum, nasusque, quippe qui pars faciei sit maxime prominens, eo respectu summae est dignitatis.
2. Cicatrix nasi peculiariter quadam est vi universam faciei imaginem mutandi et plerumque quidem deformandi.
3. Ex omnibus faciei vitiis nasi defectus hominis adspectum maxime horribili modo deformat.
4. In vulgo, naso deficiente, suspicio de syphilide inevitabilis est, quo fit, ut talis calamitas etiam augeatur.
5. Sententia a Graefe prolatâ, qua rhinoplastice per Africam Siciliamque ex regionibus orientalibus in Italiam allatam esse censem, nullo certo adminiculo ex historia petitio confirmatur.

6. Sicut in India judicis culter causae fuit, cur haec terra rhinoplastices velut incunabula fieret, ita in regionibus occidentalibus imprimis syphilide cogitatio exeatata est, ex cute brachii novum formandi nasum.

7. Rhinoplasticae non solus finis cosmeticus est propositus.

Saepe quidem operatio non suscipitur nisi aegroto, ut deformitate liberetur, cupiente, quae miseri spes tamen persaepe quam maxime destituitur.

Hucusque contractiones cicatricum, quae quales futurae essent, provideri nequit, effecerunt, ut operationes rhinoplasticae, quamvis summa sollertia factae, tamen malo essent eventu.

8. Novo efformato nase, olfactus auditusque perditae restitui, et catarrhales pulmonum affectio-nes praecaveri possunt.

Sane nasus externus non omnino vitae est necessarius, attamen ejus ad sensus modo dictos et ad respirationem dignitas neutquam negligatur oportet. Is enim velut atrium est cavi nasi, atque aptissime institutum, ut hujus atri fore non posita sint contra introitum cavi nasi. Aëris fluxus, qui, intravit, in atrio quasi convertatur necesse est, qua in re satis est temporis, ut temperiei aëris differentiae, si quae adsunt, exaequentur. Aër igitur calidior factus tamquam vi fracta, ideoque mitior tardiusque praeter nervi olfactorii decursum fertur, ac denique, postquam posteriore pharyngis pariete reper-

cussus, iterum circumagi coactus, iterumque, ut amplius calefiat, tempus nactus est, in pulmones pervenit.

Iis in casibus, in quibus organorum olfactus degeneratio nondum nimia est, aërisque fluxu directe penetrante, membrana mucosa sicca servatur, impedita nervi olfactorii functio rhinoplastice rursus restitu potest.

Ad quam sententiam firmandam ex rhinoplastis in primis Ammon et Friedberg magni momenti observationes protulerunt, quibus observatio, mihi in hoc nosocomio oblata, digna est, quae adjungatur.

9. Etiam rhinoplastice, cuius respectu cosmeticco infaustus fuit eventus, auditum tamen meliorem reddere potest.

Nares ut emungantur, nase deficiente, fieri nequit; mucus exsiccatus crustis duriusculis membranam Schneiderianam obtegit aegrotoque sensum quandam ingratum obtusumque affert, neque ab eo ullo modo amoveri potest. Tuba Eustachii sic et ipsa occluditur, unde varias turbas, uti auditus gravitatem, sequi necesse est, idque eo magis, quod, crustis formatis, saepe etiam localis ad subjectam membranam mucosam irritatio exhibetur, cuius membranae inflammatio etiam in tubam Eustachii propagari potest.

Zeis (Handwörterbuch der Chirurgie und Augenheilkunde von Walther, Jäger und Radius, 1839 VI. pag. 684) jure ac merito hac de re admonet, ipsique mihi oblata est occasio, certa de ejus veritate argumenta colligendi. Si, rhinoplastice instituta, aegroto facultas redditur nares emungendi, haec res jam sola per se maximi est momenti.

Judaea, Anna Moesur, in qua rhinoplastice totalem

institueram, ob quandam causam, de qua infra mentionem inferam, per nasum recens formatum non inspirare quidem, attamen eum emungere potuit. Hoc in casu igitur potestas nasum emungendi, aliis, quae rhinoplastico prospere peracta alias afferre potest, iocommodis ex parte deficien-tibus, miserae restituta fuit, eoque, quanti pretii esset haec res, quam primo adspectu levem existimaveris, facilius mulier dijudicare potuit saepiusque gratias mihi egit quam maximas hujus commodi sibi allati.

10. Dieffenbach his utitur verbis: „Derjenige Chirurg wird die beste Hautnase machen, der auch mit der Geschicklichkeit eines Bildhauers dieselbe aus unorganischen Massen zu formen im Stande ist“; at ego tamen his adjecerim, chirugo tironi multo esse gravioris momenti, ut in animalibus, e. g. in canibus, nasos cutaneos conformet, quo praesertim leges, quae in cicatricis contractione obtinent, cognoscat, et assuescat difficultates haemorrhagiis et chloroformyli usu crebro obvias, quas providere non liceat, superare.

1. In uno animali plures ejus modi operationes suscipi possunt.

2. Defectus, qui lobulo exciso existit, in capibus non admodum obesis, ita ut latitudine unam lineam aequet, contrahi potest.

3. Evidem in cane aquatico cutem musculos gluteos tegentem naso efformando adhibui.

4. Loco electo pilos ante operationem tenderi radique necesse est.

5. Canis ne mordeat neve respirando impediatur, bacillum ligneum 4" longum post dentes angulares ori illigetur. Ligatura post bacilli fines latera versus ex ore prominentes applicetur eoque modo a naso delabi nequit. Os ad respirandum patet, neque tamen ad morden-dum aperiri potest.

6. Haec experimenta chloroformyli usu minus cru-delia redduntur, parvaque hujus medicaminis quantitate quum opus sit, sic non multo pluris constant.

7. Primis diebus animal ante vinctum in molli cubili collocatum teneatur. Duo pedes posteriores laqueo ligati pectus animalis versus adducantur, ne locus, quo operatio facta sit, damnosis extremitatum motionibus distrahatur. Pedes priores quoque inter se colligari opus est. Si forte primis diebus non ausus fueris bacillum ori immissum auferre, animalis caput quoque laqueo, qui a pedibus posterioribus exiens inter pedes anteriores trajectus est, illigetur, quoniam, hoc nisi feceris, animal, dum vul-nus operatione illatum lambere vult, bacilli in os intro-ducti finibus id laedit.

8. Canis appetitus ciborum demum die altero tertio ve-redit, id quod non tanti habendum est, quia et crapulae chloroformyli usu provocatae aliquid tribuamus oportet.

9. Aqua frigida, quam animal bibat, ut praesto sit, prospiciendum est. Haec, bacillo non remoto, animali etiam praeter hoc infundi potest.

10. Remedia antiphlogistica interne adhiberi, super-fluum est.

11. Localis frigoris usus, et, siquidem opus fuerit, localis sanguinis detractio in cane etiam gangraenam

præcavent. Evidem tali in casu scarificationem, tamquam remedium commodissimum, cani adhibui. Vesicam parvulam glacie impletam apponi, nonnullius est difficultatis, quoniam sic nasus facile comprimitur atque informis redditur. At compressas frigidiusculas iterum saepiusque mutari et operosum est et multum postulat temporis. Optimum videtur, naso recens formato, vesicam parvam glacie repletam supra imponi, ex eaque per foramen acu infixa effectum continuo aquam frigidam guttatum novo naso immitti, quae aqua ibi evaporata præclare vim refrigerantem localem exhibit.

12. Nasus recens factus in cane emplastri adhaesivi taeniolis sustentandus est, quae cautela in homine non necessaria.

13. Tempore posteriore canis lambitus ad vulnus operatione illatum cicatrice obducendum nonnihil confert.

12. Chloroformylo in usum vocato, chirurgo facultate sua formas rite effingendi liberius uti licet, misericordia dolorum ejus inveniendi sollertiae, si qua adest, non officiente. Aegroti dolor eum non commovet, ut præpropere agat vel opus suum cruentum festinantius ad finem adducat.

Quod Jobert (*Traité de chirurgie plast.* Paris 1849) in operationibus plasticis chloroformyli usum rejiciendum esse censet, propterea quod aegrotus mentis non compos nimis inquiete se habeat, me judice, haud dubie pro falso habendum est. Chloroformylum quibus incommodis laboret, nequaquam me latet. Aegrotus, arcto sopore oppres-

sus, concidit de sellaque delabitur et adjutorum negre eum tenentium manus chirurgo impedimento sunt. Contra ea, dosi minore in usum conversa, aegrotus extremitates, præsertim inferiores, jactat, qua re pariter operationi multum difficultatis affertur. Nihilo secius tamen, quantum mea fert opinio, nobis jus non suppetit ob causas modò allatas negrotum acerrimis submittendi doloribus, quum nobis, quod eos leniamus, in promptu sit remedium. Itaque iis in casibus, in quibus incommoda allata, quae et Jobert metuit, chloroformyli usu effecta operationi obstacula moveant, duo mantelia inter aegroti femora perduci et utrumque eorum respondenti sellae pedi posteriori alligari suaserim. Quo facto, aegrotus jam de sella delabi nequit, atque, dummodo adjutor a tergo adstans ejus caput rotineat, id immotum ea, qua esse volueris, altitudine manet. Mantelium, quae dixi, pressus, quum fere ad solam symphysin ossium pubis et ad tendines muscularum adductorum femoris agat, nihil damni infert.

13. Spec fore ut chloroformylo sèpitus operationem melius sustineat, aegrotus facilius adducitur, ut operationem forte necessariam inse suscipi patiatur.

14. Excisionibus aptis naso recens conformato firmum adminiculum e tela cicatricosa consistens suppeditare licet.

15. Solius cicatricis conformatio, nullo ex nasi substantia frusto rite amoto, nisi ad tempus, non est successus fansti.

Anno dimidio vel integro exacto, cicatrix jam adeo emolluit, ut adminiculo haud amplius inservire possit. Quamobrem non prodest, auctore Dieffenbach, acus trajecisse, quoniam cicatrix hoc modo obtenta in canali acubus effecto emollitur, nasusque in pristinam deformitatem redigitur.

Quodsi nasi formam in perpetuum corrigere volueris, non possumus quin excisiones incisionibus et punctionibus anteponendas censemus.

Anni 1856 mense Sextili in nosocomio, cui professor Adelmann praestet, methodum Indicam secutus, ex frontis et crani tegumentis nasum efformavi, qua in re, auctore Blasio, cute duplicata nasi alas crassiores formavi. De magni momenti observationibus, quas, occasione oblata, in hac operatione, cui praeter alios etiam Dr. Rauch Petropolitanus adfuit, institui, infra locus erit, quo copiosius disseram, hoc loco tantum de forma nasi novi agere liceat.

Lobulus ex fronte petitus postquam transplantatus est, nasus recens formatus quattuor post operationem hebdromadibus, a parte anteriore spectatus, imaginem, quae fig. I, a latere intuenti speciem, quae fig. II proponitur, praebuit. Ejus pars inferior rotunda, quae proh dolor! nasi apex nominari non poterat, ex parte labio superiori incubuit, dorsumque nasi informem in modum latum sicut. Primo a parte sinistra excisionem folii myrti ad instar formatam institui (fig. I a), qua simul exigua pontis lobuli prominentia sublata est. Circiter diebus 14 post in latere sinistro frustum simile, quod tamen inferius descendebat et ab hoc fine inferiore processum habebat introrsum ad nasi dorsum adscendentem, extirpavi (fig. III b, c.). Incisurae profundae in densam nasi novi telam ci-

caticosam factae suut, ita ut frusta excisa cuneorum instar introrsum porrigerentur. Suturae applicatae statim naso adspectum meliorem adulterunt (fig. IV.) Sinistra nasiala, quae paullo inferius posita erat, sursum sublata, nasus jam non labio superiori incubuit. Incisuris cicatrice obductis, etiam e latere dextro frustum myrti folio simile (d), cicatrici e respondens, exempti, ejus finis exterior tamen obtusus in cicatricem inter genam nasumque interpositam exibat. Trium harum operationum cosmeticarum eventus exoptatus fuit nasique forma, uti fig. V et VI ostendunt, multo melior exstiterat, duaeque cicatrices e et f, quae in nasi dorso altera alteri conjungebantur, alarum nasi formam imitabantur.

Imagines a me prolatae memoriter factae; attamen imago photographica aegrotae, qua modo dicta confirmantur, in nosocomii chirurgici oeco, in quo operationes institui solent, exstat.

16. Incisurae in densam ipsius nasi novi telam cicaticosam factae, si modo suturae bene applicatae fuerint, fere semper per primam intentionem consanescunt.

Quae res tam magni momenti ad operationes secundarias in rhinoplastice suscipiendas, quamvis non desint exempla, quibus ejus veritas coarguatur, tamen, quantum quidem litterae ad hanc operationem pertinentes mihi innotuerunt, hucusque diserte commemorata non est. Jam casus heteroplastices a Buenger prolatus (Graefe und Walther's Journal IV. 1822 pag. 581) hanc observationem confirmat. Nasi a Buenger e femoris tegumentis facti pars in gangraenam abiit, lobulusque ad eam compensandam e brachio desumtus cum nasi recens formati truncu per

primam intentionem coaluit, dum ea alae nasi portio, quae genae affixa erat, nullo modo adhaerebat. Porro Buenger, quem denique ultimum defectum lobulo e gena petitio resarcire vellet, idem observavit. Cum nasi novi partibus e femore brachioque desuntis pars defectum expleta per primam intentionem coaluit.

Idem permulti casus, quos hic illic dispersos in diversis operationum relationibus inveni, testantur. Quin etiam in extrahenda suturæ circumvolutæ acicula casu inflexa superficies incidendo factas omnino distraxi, indeque quum margines tantum emplastro anglico inter se conjunxissem, die insequenti sub emplastro paullulum lymphae pellucidae prodire vidi, vulnusque, nulla suppuratione facta, paucos post dies coiisse observavi.

17. In consiniis nasi recentis cutisque genam tegentis persimile suppuratio oritur, et granulationes, celeriter pullulantes, crebro lapide infernali contrectandae.

Prima intentio ut fiat, necessarium videtur, vulneris margines inter se junctos aequa alaci materialium vicissitudine esse, quam ob causam vel maxime suadendum est, ut in operationibus cosmeticis solummodo in ipsum nasum recentem incisiones instituantur.

Regulis modo positis ut satisfacere licet, nasum recentem quam maximum formari oportet.

18. Aspernanda est ratio nasum nimis planum, sive naturalem sive artificialem, vel auro (Rust, et postea Klein) vel plumbo (Galen-

zowski) vel platina (Tyrrel) vel denique gutapercha (Heusser) sustentandi.

Si quis chirurgus, operationis plasticae eventu desperato, ejusmodi auxiliis utitur, ei suadendum est, ut, cultro deposito, nasum e charta lignove vel e lamina ab opifice fabricari jubeat. Certe, quid chirurgia plastica praestare possit, ignorat, immeritoque laetissimis in hac provincia progressibus, hoc ultimo tempore factis, diffidit.

19. Rhinoplastice Indica Italicae (et Graefianae) nec non Francogallica (cui methodus Burowiana adjungenda est) preferatur oportet.

De trium harum methodorum dignitate historia jam judicium fecit; namque ex rhinoplastices totalis exemplis 120, quae mihi cognita sunt, quemadmodum tabula adjecta demonstrat, methodus Indica octogies sexies in usum vocata fuit, cute brachii tantum vicies semel, cute genae ter decies adhibita.

In rhinoplastice partiali, ut per se intelligitur, aliae sunt rerum conditiones.

Methodus Francogallica in rhinoplastice totali minime fausta credenda est, ut vidimus, ex casibus 120 tantum ter decies in usum conversa. Ipse Saemann, adjutor cli Burow, constiterit, methodum ab eo commendatam in lateribus triangula formandi nasum planum efficere, eamque modo ob causam tamen methodo Indicae antefrendam esse, quod non sit periculum, ne lobulus ex frontis cute petitus in gangraenam abeat. Verumtamen hoc periculum, quod dicitur, uti tabula subjuncta docet, in qua omnes, quas in litteris invenire potui, hujus generis ope-

rationes collegi, non est nisi opinatum, qua re firmissimum rationis Francogallicae et Burowianae adminiculum labefactatur. At justum opprobrium, quod methodo posteriori objicitur, nimium cutis genam tegentis ea perdi, eo minus est negligendum, quod genae per cicatricem deformatio, accidente praeterea naso artificiali cicatricibus deformato, magis est evitanda, quam symmetria frontis cicatrix.

20. De periculo, quod cute frontis in rhinoplastice Indica sejungenda moveri dicitur, plura, praesertim inter Francogallos, fando audit, quam re vera observata sunt.

Sane primo adspectu cranii denudatio, praesertim si, praeiente Steinhausen, lobum 8" longum, 4" latum, ponte 1" lato, formaveris, periculosa esse credatur. Etenim facile adducare, ut, ne erysipelas, cerebri affectiones etc. oriuntur, metuas; at nihilominus tamen ex casibus 86, in quibus haec nasi formandi methodus adhibita fuit, unum modo exitus letalis, qui ab ipsa operatione pependisse videtur, fuisse cernimus. Quamquam enim ex casibus 86, inter quos 16 reperiuntur, in quibus lobulus ex parte a capillitio petitus fuerat, quinque funesti fuerunt, tamen praeter easum jam memoratum, a Dieffenbach prolatum, ceterorum eventus letatis nullo cum ipsa operatione connexu continetur. Blasius et Textor unum uterque rhinoplastices exitum funestum ob tuberculosin, Oettingen, dodrante anni post operationem elapo, carcinomate residente, denique Dieffenbach vicesimo post operationem die ob febrim acutam, de qua tamen, id quod dolendum est, nihil certius affertur, observarunt.

Fortasse objecerit quispiam, praeter operationum rhi-

noplastiarum casus 224 a me inventos etiam multos alios reperiri posse nonnullosque forsitan chirurgos casus adversi exitus publici juris non fecisse. Quibus haec opponi posse crediderim, causam non esse, cur statuanus, in operationibus mihi non notis infaustiorem rationem fuisse, atque, quum in rhinoplastice eventus funestus non possit chirurgo vitio dari, non praesumendum esse, quemquam ejusmodi operationem consulto celasse. Accedit, quod pleraque operationes rhinoplasticae in nosocomiis institutae sunt, in quibus quae fiunt operationes, plerumque in medium proferri solent.

His de causis non videor inutiliter bibliothecas perscrutatus esse, quum mihi contigerit, ut factum istud imminentis gangraenae lobulos ex fronte petitos corripiens tericulum multoque majorem mortis hanc operationem sequentis metum omne in tempus tollerem.

21. Incisiones obliquae a Buehring suasae, etiamsi non, uti vir doctus censuit, suturarum usum superfluum reddant, tamen dignae sunt, quae commendentur.

Margines vulneris non satis certe inter se conjungi queunt, adeoque suturis remotis ad cicatricem etiamtum recentem sustentandam semper opus est emplasti anglici taeniolas applicari, quae praeterea, ne madefiant solvanturque, vel collodio vel traumaticino oblinendae sunt.

Etiam inter suturas ejusmodi parvas emplasti taeniolas applicari, in chirurgia plastica necessarium est.

Jam Benedict Vratislaviensis anno 1827, nasi trunco oblique ablato, incisiones obliquas in usum vocavit. Verumtamen, quum pro sanatione per primam intentionem,

quam speraverat, suppuratio ingruisset, hanc agendi rationem rejecit. Evidem tum in hominibus tum in experimentis, quibus canes adhibui, contraria rei ratione observata, hac methodo inita, haud exigua commoda nobis adipisci licere mihi persuasi. Ego tamen incisiones, si cum ratione a Benedict inita comparaveris, in directionem contrariam institui.

In excidendo e fronte lobulo ita rem instituo, ut epidermidis superficies in lobulo minor sit, quam superficies, quae a periosteo disjungitur. In facie convenienter incisiones lobulo affigendo oblique a parte interna et anteriore ad externam posticamque fiunt, ita ut superficiales incisurarum margines in epidermide utrumque mediae faciei lineae propiores sint, quam partes incisionum profundiores. Itaque lobulus e fronte petitus genae inseritur.

22. Sutura nodosa, cum lamellis plumbeis perforatis conjuncta, ad lobulum affigendum in rhinoplastice suturae circumvolutae anteferatur oportet.

Fig. VII lamellam plumbeam proponit ope forficis factam, 3^{'''} longam, 2^{''} latam. a et b duo sunt foramina, quorum margines reflexi denuo in planum retusi sunt. Quae foramina opus est inter se proprius esse posita, quam foramina cutis, quae acu infixa et extracta extiterunt (fig. VIII, c et d). Nodus e in lamina plumbea ficit, qua in re vulneris margines aequabiliter filo g ad inferiorem laminae superficiem apprimuntur. Talis sutura non immergitur, facileque, nodo non ope volsellae distracto, id quod in solita sutura nodosa necessarium est, in lamella dissecatur. Aciculae, in sutura circumvoluta per vulneris margines trans-

fixae, linea recta manent, qua de re, si vulneris marginibus in una eademque planitie positis adhibentur, locum, quo sutura est, prominere necesse est. In sutura a me adhibita filum in canali curvato acu infixa effecto, huic respondens, lineam curvam format, dum in superficie vulneris margines ope lamellae plumbeae, uti est necessarium, in una eademque planitie retinentur.

In rhinoplastice ad lobum e fronte petitum instituendum haec sutura quam maxime commoda est. Fig. IX h lamella plumbea est, hic in medio in angulum obtusum inflexa. i filum suturae est, quod loco littera k designato in lobulo e fronte desumto, loco l in cute genae latet.

In applicanda hac sutura filum jam per alterum lamellae plumbeae foramen trajectum sit, acusque, postquam per vulneris margines ducta est, per alterum lamellae foramen trajiciatur, quo facto, dum adjutor laqueum priorem ope volsellae ad lamellam apprimuit, filum caute nodetur.

23. Incisionibus obliquis et hac sutura in usum vocatis, supervacaneum est, faciei cutem, id quod Dieffenbach tantopere commendat, quo melius lobus e fronte desumtu assui possit, disjungi.

Postquam operationibus in cane susceptis in animum induxi lamellis illis plumbeis uti, incisionibus obliquis adhibitis, mihi melius contigit, ut, vulneris marginibus non sejunctis a faciei osse, lobulum e fronte sumptum genae affigerem, quum tantum, quamquam haemorrhagia secundaria exorta, in parte dextra sanatio per primam intentionem ex parte non facta sit, quo loco, ductu fistulari orto, complures per menses lapidis infernalis usus continuatus est.

24. Consilium a Lisfranc datum, quo lobulus ex laterali frontis parte oblique formari jubetur, nisi peculiares cutis frontalis rationes hoc fieri coegerint, aspernandum est.

Cicatrix, quae methodo Lisfranciana formatur, quam parum symmetrica sit, faciem magis deformat, atque, ut supercilia loco suo moveantur, efficit.

Lobuli torsionem, quam Lisfranc ejusque sectatores tantopere evitare student, quemadmodum operationum rhinoplasticarum a me collectarum conspectus docet, immrito timetur.

25. Methodus ab Herff prolata, qua lobuli e media fronte petiti pons curvatur ac magis latus versus formatur, quo sit, ut eum minus torqueri necesse sit majoresque frontis venae illaesae maneant, plurimum emolumenti praebet.

26. Ratio a Friedberg inita, qua incisurae formando ponti arcuum ad instar internum oculi canthum versus producuntur, methodum Herffianam amplius excoluit atque perfecit, eo haud parvi momenti commodo allato, quod, duabus parvis incisionibus auxiliariis rite institutis, postea opus non est, pontem alioquin prominentem excidi.

27. Pons, si prominet, optime exciditur, neque, ut quidam chirurgi praecipiunt, ad frontem in defectu reponendus est.

Michon Parisiensis tempore recentissimo bis in rhinoplastice lobulum ex cute crani petivit, pontemque e fronte excidit; in operatione vulneri frontis aptam spongiae lamellam imposuit capitisque vulnus granulationum formationi permisit. Diebus 8—10 exactis, quum pontem desecuisset, eum, spongia remota, in loco, unde excisus fuerat, reposuit. Quae ratio licet a Michon commendetur, mihi tamen, pluribus casibus innixo, haud dubie rejicienda videtur. Etenim primo lobus repositus difficulter per primam intentionem vulneris frontalis marginibus coalescit, deinde, id quod gravissimum est, non planus ossi impoitus manet. Jam, dum consanescit et postea quoque, interiore tela cicatricosa solidescente, media lobi repositi pars sursum eminet frontemque magis, quam cicatrix plana, quamquam initio colore rubro tincta, deformat. Ceterum, uti jam diximus, Friedberg ostendit, ponte lateral i rite formato, posteriorem ejus excisionem inutilem esse.

27. Pons a loco, unde desumitur, bene disjungi debet, etiamsi sic nonnunquam major sanguinis profusio exsistat.

In casu jam allato talis haemorrhagia secundaria multum mihi negotii effecit, quam demum post horas 11, parvis glaciei frustulis perpetuo appositis parvisque arteriarum ramis, quos assequi licuit, compressis, sedare congitit.

Observationes mihi paulo ante haemorrhagiis secundariis ex parvis arteriis ortum habentibus oblatae me ducuerant, talibus in casibus, applicita spongia parva tannino obiecta (auctore Buehring), sanguinis profluviū et certius et minoribus doloribus, quam lapide infernali vel

ferro candenti adhibitis, sjsati. Spongiae frustulo adhaerente, sanguinis coagulum, quod nullo dolore formatur, vulnus claudit, quod coagulum etiamsi diebus 2—3 exactis detrudatur, in vulneris superficie granulationes pullulant.

28. Si, toto naso duobusque nasi ossibus perditis, defectus lobulo e fronte petito resarcendus est, lobuli pontem non in latere formandum, sed lobulum paulo magis e cute cranii efficiendum judico, ita ut pons satis sit longus, qui eo in loco, quo nasi radix futura est, laxius compliceatur. Quo loco statu normali ossa nasi situm habent, cutis frontis strato fere triplici posita sit, quo facto, nasus recens formatus perpetuo prominet.

Hunc in finem pons paulo magis a processu nasali os sis maxil. sup. et proc. nas. ossis front. sejungatur, ita ut lobulo reflexo nulla exsistat tensio. Lobulus disjunctus ponte recto formato adeo deorsum pendet, ut ejus superficies vulneraria ad partem anteriorem propendeat. Quod si pro ossibus nasi solum exstat foramen, primum lobulo, quem diximus inversum propendere, in regione canthi oculi (contra pontem) suturam 1—2 applico, ac tum demum lobuli epidermidem ad partem externam verto, qua re supra pontem in lobulo affigendo parvulum exsistit infundibulum, quod postea, pro eo ut pons excidatur, emplastro vesicatorio imposito suturisque apte institutis, clauditur. Fig. X lobulum offert positione priore. a et b duae sunt suturae contra pontem c applicitae. Jam lobulus a parte dextra sinistrorum convertitur, ejusque margo d e in incisuram obliquam f g inseritur,

Fig. XI h infundibulum supra pontem ostendit, i plica est prominens cristae similis; sutura k vulneris marginem l et lobuli marginem e supra suturas primo applicitas a et b affigit. Suturarum reliquarum applicatio nullis implicita est difficultatibus, nec non vulneris margo l ad marginem oppositum m ope suturae circumvolutae facile applicatur, qua re nasi dorsum i magis etiam extollitur. Qua in methodo, quum torsio exigua sit vulnerisque superficies plerumque altera alteri bene adaptari possint, ne lobulus gangraena corripiatur, metuendum non est.

In opere praeclaro ab Ammon et Baumgarten conscripto pagina 79 haec verba leguntur: „Sind auch Dieffenbach und nach ihm auch Ammon u. Andere so glücklich gewesen, ihr Unternehmen bei totalem Nasenmangel von glücklichem Erfolge gekrönt zu sehen, so verspricht die totale Rhinoplastik doch nicht die erwünschten Resultate, denn die Anforderung an die Kunst ist hier zu hoch gestellt, als dass sie ihr je wird Genüge leisten können“. Quod dictum etiamsi multum contineat veri, chirurgi tamen animum nimis deprimit. Dubium non est, quin futurum sit, ut ars nostra multis in rebus amplius persiciatur, et, quantum mea fert sententia, studium prosperiores prosperioresque rhinoplastices eventus obtinendi ad altissima quaeque tendat oportet. Ipse nasum e canis cute femoris formatum in spiritu vini asservo, cuius forma mihi potestatem facit tantam spem concipiendi. Porro hoc loco casum jam supra allatum afferre licet, quo, nasi ossibus jam deficientibus, pro iis inter aegrotae oculos pons cutaneus prominens conspiciebatur, ad quem mutilatae nasi alae sursum tractae erant. Has, postquam emplastrum vesicatorium in iis vim suam exhibuit, lobulo e fronte de-

sumto obtexeram; attamen aliquot post operationem mensibus affectio dyscrasica rursus ingruens sub naso recenti pontem cutaneum, quem diximus, destruxit, ita ut nasi alae ante nares per exiguae prolaberentur atque inspirationem impedirent, olfactu tamen, qui post operationem restitutus fuerat, perdurante. Haec alae, uti jam commemoravimus, in fortius emungendo recedentes, ut aegrotae nares purificare liceret, effecerunt. Nihilominus tamen nasi recentis forma mutata non erat, ejusque dorsum curvatum manserat. Erat nasus aduncus Israëliticae mulieris faciei optime respondens.

29. Defectus in fronte plerisque in casibus cute contrahenda resarciri potest.

Periculum, quod imminere creditur, si incisurae auxiliares instituantur, plerumque non exstat. Constat, Dieffenbach, cicatrice frontalii excisa, cutis contractione repetita, cicatricem lineae similem effecisse.

30. Vulner capillitio illatum aptissime formandis granulationibus permittitur.

Fig. XII, a b c d defectus est. e g et f h duae sunt incisurae semicirculares in superiore frontis marginem factae. i k (Fig. XIII.) locus est, quo vulneris margines d e et c f, lobulis g e d et h f c prius sejunctis, ope suturae circumvolvatae contracti sunt. Vulner a b f i e per granulationes sanatum postea regionis vicinae capillis tegi potuit.

Ossis exfoliatio non metuenda est, neque, quod ego sciam, hucusque unquam observata. Jam Zeis (Handwörterbuch der Chirurgie und Aug.-K. von Walther, Jäger et Radius. 1839. vol. IV. pag. 664) inanem hunc

chirurgorum metum tollere conatus tamen, ut in lobulo sejungendo summa adhibetur cautio, ne galea aponeurotica laedatur, praecipit. Attamen hic quoque metus nimius est. Mihi accidit, ut in spatio 3^{'''} periosteum cum lobulo e fronte petitio auferrem, et prof. Oettingen simile quid evenit, nullo tamen ne minimo quidem incommodo sic allato.

31. Si fieri potuerit, nasus totus recens formandus est, quam minima reliquiarum nasi veteris parte adhibita.

32. In totius nasi formatione ejus figura magis a chirurgi arbitrio pendet.

Delpech jam contendit idemque Blasius affirmavit, si parti recens formandae aptam figuram praebere volueris, eam et ante operationem et hac durante tum a parte externa tum intrinsecus cute obducendam esse, quum satis constet chirurgiae plasticae eum propositum esse finem, ut suppuratione præcaveatur. In rhinoplastice totali igitur cutis, ex qua septum alaque conformentur, duplicatio duas ob causas multum utilitatis afferit:

1) Nasus recens fulcit, neque postea atrophia, quam Keith timet, deformatur.

2) Internae lobuli facies altera alteri applicatae suturisque inter se junctae, uti in naso, quem rei observandas causa jam die quarto desecueram, vidi, per primam reunionem sanescere possunt. Si interna nasi recentis facies, secundum regulam veterem operatione facta, sensim cicatrice obducitur, granulationes luxuriantes facile usque ad lobi margines porrigitur ibique sanationem per primam intentionem aut impediunt aut difficiliorem reddunt. Qua de-

causa, me judice, etiam in rhinoplastice totali per nasi dorsum duo fila trajicienda atque nodanda sunt. Cutem, ex qua nasi alas formaret, jam Blasius 1838 duplicavit, posteaque, quum lobuli pars introrsum reflexa interdum in gangraenam abiisset, nasi alas in lobulo frontali nondum omnino sejuncto praeformari suasit. Ceterum hanc cautelam adhiberi mihi supervacuum videtur, quoniam jam multa exempla docuerunt, cute sic duplicata, partem introrsus flexam gangraena non corripi.

33. Consilium a Koenigsfeld datum namum e duobus lobulis ex media fronte petitis conformandi (Rhein. Monatschrift Juni 1849) nulla commoda praestare videtur, quibus adducamus, ut namum recentem ab ipso initio cicatrice in medio posita deformemus.

34. Opus est rhinoplastae cognitam esse nasi dignitatem, qua in physiognomia utitur

cf. Leuches „die Schönheit des menschlichen Körpers.“ Leipzig 1837. (Commentatio praemio ornata.)

35. Parte pontis servata namum Graecum conformare licet.

36. Ad namum aduncum efficiendum brevi opus est septo.

37. Lobuli septo formando destinati duplicatio certissima est ratio narium servandarum.

38. In formandis nasi alis simul nasi dorsum fulciri potest.

Fig. XIII e a l m b f incisuram proponit, qua lobulum efficio. Lobulo jam sejuncto ope forficis incisiones l n o et m q p facio statimque suturas v w (fig. X et XIII) septo applico. Quae suturae, dum rhinoplastae ad id tempus modo superficies alteram alteri applicarunt, margines lobuli alterum alteri adaptant, qua re sanatio per primam intentionem adjuvatur. Lobuli apices l m et ipsi introrsum reflectuntur suturaque x (fig. X et XIII) nasi dorso affiguntur. Sub fine hujus praeformationis nasi marginibus cultro attenuatis m b et l a suturae y z et y' z' applicantur.

In operatione in Anna Moesur instituta, septo non reflexo, quamquam excisionibus et cauterizationibus adhibitis, nares tamen apertas servare non potui. Denique bacillum plumbeum $\frac{1}{2}$ " crassum alteri narium immisi et ex altera propuli finesque ejus inflexos alterum alteri admovi. Verumtamen hic quoque annulus plumbeus, quem aegrota patientissima plures per hebdomades gestabat, nihil profuit, mulierque nunc tantum per duas aperturas parvas in alarum nasi angulis sitas namum emungere potest.

39. Nasus recens formatus, si nimis est latus planusque, triangulo e labio superiore exciso, sursum attolli simulque tenuior fieri potest.

Partes namum circumiacentes paululum a maxilla superiore resolvendae sunt (Fig. XIV et XV). Si periculum est, ne hac operatione septum in gangraenam abeat, ab utroque ejus latere cunei 2 excidendi (Fig. XVI a et b).

40. Hypertrophicae nasi alae, quales cute sic duplicata saepe inveniuntur, excisionibus,

quarum cicatrices a parte anteriore non conspi-
ciantur, extenuari queunt.

Fig. XVII nasum offert a parte inferiore spectatum,
alis hypertrophicis.

a b et c d excisiones sunt ellipticae, quibus pars cu-
neiformis, quem Fig. XVIII ostendit, aufertur. Superfi-
cies vulnerariae suturis altera alteri junguntur.

41. Excisionibus conicis nasi apex et an-
gustior et altior reddi potest.

Cultro acuto tenuissimo ex nasi obtusi septo alisque
(Fig. XIX) coni parvuli exciduntur (Fig. XX), superfi-
ciesque vulnerariae sutura nodosa (Fig. XXI) inter se
conjuguntur.

42. Hucusque nullum nobis est subsidium
certum, quo caveamus, ne in naso e cranii cute
formato pili procrescant. Tantum suadendum
est, ut pili crescentes subinde ope volsellae
